



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.17. Papæ responsio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

posterum removendæ sunt inimicitiae ac <sup>Sæcul. XIII.</sup> A.C. 1262.  
 offensiones: & quemadmodum id ex a-  
 nimo precor, si sincere idem cogites,  
 tantum bonum res nulla impedire po-  
 test. Tuum nostri parentis munus erat,  
 nos prævenire: & tamen prior tibi pa-  
 cem offerre volui, Deum & Angelos  
 ejus contestans, me, si eam renuas, non  
 habiturum, quod mihi exprobrem. Mo-  
 do nec dogmata, nec ritus Religionis  
 tango. Siqua de iis controversia est, fa-  
 cilis post confectam pacem sedabitur.  
 Oro demum, ut Nuncios ad me mittas  
 pacificos vere: atque per illos tuum re-  
 sponsum opperior.

## §. XVII.

*Papæ responsio.*

Urbanus acceptis his Palæologi litteris  
 Nuncios pro Græcia delegit quatuor  
 Fratres Minores, Simonem Arvernien-  
 sem, Petrum Morasium, Petrum Cre-  
 stensem, ac Bonifacium Eperodicum.  
 Sed quia in remotis tunc regionibus e-  
 rant, Papa tam cito, quam voluisset, eos  
 mittere haud potuit. Præterea bellum,  
 quod Græci Guilielmo Villarduino Acha-  
 jæ Principi, cæterisque ejus provinciæ  
 Latinis movebant, Papam cohibuit me-  
 tuentem, ne Palæologus mutasset ani-  
 mum. Tandem an. 1263. illos ad Im-  
 pera-

*Rayn. n. 26.*  
*Vading. n. 2.*  
*Et c.*



Sæcul. XIII.  
A.C. 1263.

*Rayn. n. 22.*

peratorem misit cum epistola 28 Julii data, in qua magnum gaudium de officiosa ad pacem & concordiam invitatione, ac ingens ejus jungendæ desiderium significat. Illa si fieret, inquit, monstraremus tibi, quantos e sanctæ Sedis potestate fructus percipiant Principes, ejus communi ac benevolentia fruente. Si bellum inter eos aut dissidium oritur, Romana Ecclesia tanquam benigna mater se interponit, eorum manibus arma eripit, autoritate sua eos ad ineundam pacem adigit. Catholici Reges ipsi, si qua inter eos dissensio est, aut subditi adversum eos confurgunt, hanc ad Ecclesiam mox confugiunt, ab ea consilium & opem petunt, pacem & tranquillitatem certo recipiunt. Materno pariter affectu complectitur Principes primoribus etiamnum annis regna hæreditate natos: hos regit, hos fovet ac suis etiam, cum opus est, sumptibus tuetur ab injuriis bona aliena usurpantium. Vide, quibus in rebus tunc posita fuerit magnitudo Ecclesiæ seu potius Aulæ Romanæ!

Papa pergit: Igitur ejus ad sinum si redeas, non modo Genuensium cæterorumque Latinorum suppeticas, verum etiam, si res postulet, omnium Catholicorum totius orbis Regum ac Principum vires



res ad firmandum tibi solium accerfet. Sæcul. XIII.  
A. C. 1263.  
Sed quamdiu obedientiæ detrectatio te a sancta Sede disjunctum tenebit, salvo officio nequimus permittere, ut vel Genuenses, vel alii quicumque Latini auxilium tibi ferant. Templorum direptiones, cæteraque hujusmodi facinora nemo prudens omnibus Latinis tribuit, sed adscribenda sunt prædonibus privatis, vel potius iis, qui per schisma suum hæc mala accivere. Quia vero pax non foret solida, nisi niteretur in fide, non debebas illam ante dogmata & ritus religionis poscere. Omnis pax, & omnis concordia inter adjectiva sunt, quæ ab illo substantivo pendent. Sic ætas illa loquebatur gravissimis in negotiis. Sed, quod notatu dignius est, secundum hanc Papæ ratiocinationem Christiani cum gentibus diversæ religionis nunquam pacem firmam possent conficere: id quod provenit ex ambiguitate vocabuli *fides*, quod modo pro assensu veritatibus a Deo apertis debito, modo pro fidelitate in fœderibus præstanda sumitur.

## §. XVIII.

*Alia Palæologi epistola.*

Antequam Palæologus hoc responsum acciperet, alias ad Papam Urbanum litteras scripsit hunc in modum. Ragn.  
1264. n. 58. Vestri, nostri-